percipe domine; Metaforice dixit auribus percipe. Cum deus aures non habeat ut pote spiritus. Sed aures appellat misericordiae et exaudi-
bilem auditum. quo electos suos audire dignatur; Intellege clamorem meum. Eundem sensum aliis verbis repetit. Idem est enim clamorem
intellegere. quod verba exaudire. Clamorem dicit. id est desiderium et intentionem mentis meae. Intende voci orationis meae. Vox non potest
intendi. sed audiri. Sed ideo dixit ut ostenderet non esse distinctionem sensuum in deo. Neque enim discretos habet sensus. ut alibi sit visus. alibi
auditus. alibi pes. alibi manus. sed totus est auris. totus est oculus. De toto se videt. de toto audit. Vel certe ideo intendi dicitur vox, pro eo quod est audi-
re propter principalitatem quam visus inter omnes sensus retinet; Rex meus et deus meus. Cum dicit rex meus. sponsum suum demonstrat Christum esse. Dicendo vero
deum. redemptorem suum esse designat seque eius hereditatem. Quoniam ad te orabo domine. Id est te deprecabor; Cassiodorus dicit fuisse proferenda esse haec
tria. propter honorem sanctae trinitatis dicit. In hoc quod dicit rex meus: Christum intellegit qui propria gubernatione fideles suos regit; Filium autem quod dicit deus meus
deum patrem qui ab omnibus timetur. Per hoc quod dicit. quoniam ad te orabo domine. spiritum sanctum qui omnium dominatur vult demonstrare: Mane exau-
dies vocem meam. id est in initio gratiae tuae. cum fidem meam susceperis. Mane astabo tibi. id est in die iudicii. Mane hic pro die iudi-
cii accipitur. Stare autem proprie sanctorum est. qui in rectitudine vitae perstiterunt. Sic de helia legimus. Vivit dominus ante cuius conspectum sto.
Et de iohanne: Stabat iohannes et ex discipulis eius duo. Et videbo. id est intellegam. Disiecta nube mortalitatis et ignorantiae.
videbo te sicuti es. Quoniam non deus volens iniquitatem tu es. Deus enim iustitiam percipit. eam qui diligit. qui non aliud diligit. quam quod vult. Neque
habitabit iuxta te malignus. id est in consortio electorum. in quorum medio tu habitas. Neque permanebunt iniusti ante oculos tuos. Non dixit
non erunt. sed non permanebunt. Sciendum autem quia omne humanum genus resurget in iudicio. et in presentia dei statuetur. Sed iustis cum eo permanentibus.
reprobi eicientur a consortio sanctorum et visione sui conditoris. iuxta quod alibi scriptum est. Tollatur impius ne videat gloriam dei. Odisti omnes qui operantur
iniquitatem. Operantur dixit. non qui operati sunt. Licet enim operati sint quidam malum. non ideo dampnabuntur si esse mali desierint. Sed qui operantur.
id est qui in affectu et desiderio peccandi perseveraverunt; De quibus dicit operantur. quasi adhuc operentur. quoniam si semper viverent. semper peccare vel-
lent. Alibi legitur. Misereris omnium domine: et nihil odisti eorum quae fecisti. quod verum est. quia deus hominem iustum fecit. et eum diligit. iniqui-
tatem non fecit. et ideo odit eam et operatorem eius. Perdes omnes qui loquuntur mendacium. id est dampnabis. Notandum vero quod dixit eos qui loquuntur menda-
cium dampnandos. illos autem qui operantur iniquitatem odio tantum esse dignos. cum plus sit iniquitatem operari. quam mendacium loqui. Sed sciendum.
quia non de qualicumque mendacio hoc dicitur. sed de quodam magno excepto quod in deum fit. cum scilicet heretici male loquuntur de eo. Virum sanguinum
et dolosum abhominabitur dominus. Virum sanguinum appellat homicidam et sanguinarium quemlibet. paratum semper ad interficiendum. vel
etiam virum sanguinum vocat hereticum. paratum ad effundendum sanguinem animarum. Et dolosum quem appellat virum sanguinum. eundem
et dolosum. hereticum scilicet abhominabitur. id est execrabitur. Abhominari est. aliquem sic execrari. ut nec etiam dicatur homo. Illam abho-
minationem componit. Ego autem in multitudine misericordiae tuae. id est non meis meritis. sed tua gratia et pietate. introibo in domum tuam. id est hierusalem celestem.
Adorabo ad templum sanctum tuum. id est venerabor et glorificabo corpus tuum. quod pro salute humani generis suscepisti. Templum enim dei corpus
est Christi. in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Et hoc in timore tuo. id est casto et filiali. non autem servili. Est autem dif-
ferentia inter orare et adorare. Orare quidem est deprecari deum. ut viventem aliquid. ut intelligibilem. Adorare vero est venerari. pertinens
non solum ad sensibilia. sed etiam ad insensibilia quoque; Sic verbi gratia dicimus. Adoramus aram ut crucem. quae sensu et motu carent. Adoratio
ergo est species venerationis. quae gestu membrorum agitur. Oratio vero est deprecatio. Unde et greci differentiam faciunt. inter orare et adora-
re. Orare enim dicunt. πρωcεοẏκι. adorare: πρωcκẏнοẏcι. Domine deduc me. id est fac me pervenire in illam domum
tuam celestis hierusalem. ubi adorare sanctum templum. In iustitia tua qua gratis iustificas peccantes; Dirige in conspectu meo viam tuam. Via
enim dei sunt precepta mandatorum eius. semper quidem recta. Sed tunc nobis diriguntur. cum ad ea implenda gratia dei iuvamur. ut recte per ea ad celestem
patriam tendamus. Quoniam non est in ore eorum veritas. qui falso de Christo loquuntur mendacium. in quorum ore non est veritas. quia caret ea in corde.
Os enim famulus est cordis. Sepulchrum patens est guttur eorum; Sepulchrum ad hoc patet. ut ossa vel cadavera mortuorum recipiat.
Et hereticorum guttur ideo paratum et patens est semper ad loquendum. ut quoscumque audientes decipiant et interimant. Minus enim nocerent.
si clausum os ad loquendum haberent. Sepulchrum enim dealbatum foris nitet. intus vero inmunditias continet. Sic et heretici. sanctitatem
iustitiam foris pretendunt. cum intrinsecus ceno vitiorum sordeant. Clausum quoque intus fetet. nihil quia ob aliud aperitur. nisi ut maiorem
fetorem emittat. Linguis suis. id est fraudibus et dolosis argumentationibus quibus decipiebant. Iudica illos deus. Imperativo modo videtur
loqui. verum imprecando hoc dicit. sed potius indicando. Penam enim reproborum quam ineuitabiliter pronoscit futuram. indicando et quasi op-
tando imprecatur. inquiens. iudica. id est dampna illos. Decidant a cogitationibus suis. id est non possunt perducere ad effectum quod male cogi-
tant; Decidere quis dicitur. cum non potest id quod cupit perficere; Et benedixit pluraliter cogitationibus: Nam sanctorum cogitatio una est. quia uno

Cass

Hoc est vera l[ectio]
licet quidam codic[es]
habeant. Dirige
.m.

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 9 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos
(http://www.e-codices.ch/fr/csg/0312/9)